


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI

2783

80



E xxviii, 316.

W. 634, PK. 1372, H. 61. —

ZACHARIÆ
PROPHETÆ
PRO CHRISTI DIVINI-
TATE ILLVSTRE

TESTIMONIUM

ADVERSVS FAVSTI SOCINI
Anabaptistæ cauillationes
propugnatum.

Auctore R. P. Martino Smiglecio SOCIETA-
TIS IESV S. Theologiæ Doctore &
Professore in Academia Vilenſi S. I.



V I L N Æ

In Officina Academica SOCIETATIS IESV
Christophorus Patro, Anno Domini M. D. XCVI.

ZACHARIÆ VATICINIVM DE
Ecclesiæ amplitudine & Christi ad gentes
missione, ex secundo capite depromptum.

- v. 3. Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius
v. 4. angelus egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum,
Curre loquere ad puerum istum, dicens: Absq; muro habi-
tabitur Ierusalē præ multitudine hominum & iumentorum
v. 5. in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in
v. 6. circuitu: & in gloria ero in medio eius. O, ò fugite de terrâ
Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cæli
v. 7. dispersi vos, dicit Dominus. O Sion fuge quæ habitas apud
v. 8. filiâ Babylonis, quia hæc dicit Dñs exercituū. Post gloriam
misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit
v. 9. vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego leuo manum
meam super eos, & erunt prædæ his qui seruebant sibi: & co-
v. 10. gnoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda &
lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio
v. 11. tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Do-
minum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in
medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad re-
v. 12. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra san-
ctificata & eliget adhuc Ierusalem. Sileat omnis caro à fa-
v. 13. cie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.



ZACHARIÆ PROPHETÆ I PRO CHRISTI DIVINITATE

illustre testimonium aduersus Fausti

Socini Anabaptistæ cauillationes

propugnatum.



VANTA sit Anabaptistarum in corruppen-
dis sacris scripturis, & ad quosuis sensus detorquen-
dis, vel insolentia, vel temeritas, vnus Socinus do-
cere potest, homo in hoc genere audacissimus, &
cui in hac interpretandi licentia parem haud facile
inuenias. Testantur id aliquot in lucem ab eo editi libelli, in quibus
non solum id cumulatè præstat, verum etiam, sine vlla circūlocutione
fatetur, sepenumero sacre scripturae verbis, vim aliquam facien-
dam esse. Ita enim habet in Refutatione Wuieci fol. 193. [Si

quis prophetarum verba velit ad exactas Grammaticæ regulas re-
uocare, præsertim lingue Latine, aut alterius cuiuspiam, præter He-
braicam, eum in infinita absurda deuenturum. Oportet enim in
illis intelligendis iudicio ac prudentia potius, quàm regulis Gram-
maticalibus uti, ac diligenter animaduertere, ad quem quodq; refera-
tur, non tam ex ipso verborum sono atq; ordine, quàm ex verborum
sententia; ac propterea sepius vel verbum vnum vel plura subaudire,

vel etiam **VERBIS IPSIS ALIQVAM VIM FACE-**

RE.] Hac Socinus. Quid audacius & insolentius dici po-
tuit? Hoc enim est asserere Spiritum sanctum non satis conuenien-
ter loqui, utpote cuius verbis vim aliquam facere oporteat, neq;
Spiritum sanctum id significare velle, quod verba præferunt, sed
id quod verbo per vim à quopiam detorta indicare possunt. Quod
quidem si semel Socino largiamur, omnis profecto sacrarum litera-
rum tollitur intelligentia, tota vis penitus & autoritas concidet.
Non est igitur mirum, huic homini, quæcunq; à sacrarum literarum
interpretibus, de earundem sensu ac sententia dicuntur, vehementer
dissplicere, neque cui sit propositum, nihil omnes aduersum se facere,

Vim facere
scripturae So-
cinus docet.

à quibus reuinci possit: sed sui capitis commenta sequi, proprio niti iudicio, suo arbitratu de sensu diuinarum scripturarum iudicare. Quare neq̄ ferre potuit, quæ contra istam ipsius audaciam ac temeritatem à nobis, libello de diuinitate filij Dei Polonicè in lucem edito, obiecta sunt. Adiecit ad finem Refutationis Wuieci, se diligenter ea omnia velle refellere. Quàm vero acer futurus esset in refellendo, gustum lectori præbere voluit confutatione primi argumenti, quod ex capite secundo Zachariæ ad probandum, Christum esse Dominum exercituum, missum à Domino exercituum, attuleram. Fuit ergo operæ precium totum argumentum in medium adducere, & quàm sit aduersus omnes Socini ineptias, & sophismata potens & efficax, demonstrare.

Zachariæ testimonium pro diuinitate Christi.

Sic igitur habet Zacharias capite 2. O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei (vel eius): quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

Catholica Zachariæ expositio.

Christus verus Iehoua.

Hoc D. Zachariæ vaticinium Doctores Catholici ita semper intellexerunt, vt illud ad Christum referrent: nempe Christum esse illum Dominum exercituum, qui à Patre, Domino item exercituum missus est, primò quidem ad Iudeos, inter quos habitauit; deinde vero post gloriam in Resurrectione & Ascensione obtentam ad gentes, quas per Apostolos ad Fidem & cultum suum conuertit, easq; suo imperio & potestati plenissimè subiecit. Ex quo consequitur, Christum Dei filium, æquè vt Patrem, esse verum Iehouam, & Dominum exercituum, persona solum, non autem natura diuina à Patre distinctum.

Non placent hæc aduersarijs, utpote quibus nihil grauius est, quam

Pro Christi diuinitate.

3

quàm Christum, Dominum exercituum appellari. Intendunt ergo
 veruos omnes vt persuadeant, eum qui se dicit ad gentes missum, non
 esse Dominum exercituum, sed Angelum: quapropter nihil hoc
 testimonium ad eternam Christi diuinitatem adstruendam habere
 momenti. Hoc autem nihil absurdius dici potuit. Nam cum disertè
 siue Propheta, siue Angelus apud Prophetam dicat: Hæc dicit Do-
 minus exercituum, post gloriam misit me ad gentes; quæ temeritas
 est asserere, non Domini exercituum, sed Angeli ea verba esse? Cer-
 tum siquidem est eius hæc verba esse, quem Angelus introducit lo-
 quentem: Dominum autem exercituum, non quempiam alium in-
 troducitur loquentem, cum clarè dicat: Hæc dicit Dominus exercitu-
 um. Ipse igitur Dominus exercituum ea verba loquitur, & se mis-
 sum esse ad gentes pronunciat.

I. A R G. est:
 verbis illis,
 Hæc dicit Dñs:
 exercituum.

Vt autem quantum hæc ratio urgeat aduersarios appareat, ita
 licet ratiotinari. Cum Angelus ait, Hæc dicit Dominus, quid aliud
 indicare vult, quàm ea verba quæ sequuntur esse verba Domini
 exercituum? Si enim nulla sint verba Domini exercituum, nihil
 diceret Dominus exercituum, neq; verum esset, hæc dicere Dominum
 exercituum. Vt ergo concedamus aliquid dicere Dominum exerci-
 tuum, concedere debemus ea verba, Post gloriam misit me ad gentes,
 dixisse Dominum exercituum. Deinde constans & perpetuus est
 hic sacræ scripturæ mos, quoties talia verba adhibet, Hæc dicit Do-
 minus, Deum introducere loquentem. Potest id innumeris planè
 exemplis confirmari: sed sufficiant, quæ ex hoc ipso loco de quo agi-
 mus peti possunt. An non quoties in hoc capite dicitur, Ait Domi-
 nus, verba Dei loquentis referuntur? Ego ero, ait Dominus,
 murus ignis. v. 5. Fugite de terra Aquilonis, dicit Domi-
 nus, quoniam in quatuor ventos cæli disperfi vos, dicit Do-
 minus. v. 6. Habitabo in medio tui, ait Dominus. v. 10.
 Quid ni, igitur credamus, ea quoq; verba, Post gloriam misit me,
 Deum exercituum locutum esse? si quidem expressè dicitur non so-
 lum, ait Dominus, sed etiam, Hæc dicit Dominus, vt minimè
 dubitemus, hæc quæ sequuntur verba, dixisse Domium. Post glo-
 riam misit me ad gentes.

Mos scri-
 pturæ.

Sensit:

Prima Soci-
ni euasio.

Sensit vim huius argumenti Socinus, ut eo planè oppressus sit. Ita enim se tuetur fol. 189. [Istud quamuis fortasse alibi perpetuo fiat, hic nullo pacto potest fieri] Egregium vero Socinus interpretem scripturæ agit: cum in scripturæ sensu, à communi omnium scripturarum more recedendum sibi putat; quasi vel auctor scripturæ Spiritus sanctus, moris sui, quem in omnibus scripturis perpetuo seruat, aliquando potuerit obliuisci; aut possit quis melius scripturarum sensum, quàm ex ipsarum scripturarum communi & semper usurpata phrasi coniecere. Non fuit hæc regula scripturas exponendi à sanctissimis viris cognita ac usurpata, quibus nihil fuit antiquius, quam Spiritum sanctum, se ipsum in alio scripturæ loco explicantem audire; nullo vero modo scripturas contra scripturas, idest contra communem scripturarum loquendi modum exponere. Vide igitur Socine, vter nostrum melius scripturam exponat; ego ne qui iuxta communem sacræ scripturæ consuetudinem, hæc de quibus agimus verba explico, an tu qui à consuetudine scripturæ, te ipso teste, totus recedis.

Altera Soci-
ni euasio.

At tueris te, cum ais: [non temere sed multis rationibus te ad id inductum esse.] Ego vero in primis statuo, nullas ab humano ingenio confictas rationes, modum & rationem loquendi scripturæ sacræ eneruare posse. quare rationes hæc tuas, leues & ineptas coniecturas, ac sophisticas potius argutias, quàm firmas rationes esse iudico. Quid enim ais: [si Dominus exercituum hoc loco se missum esse diceret, fuisset tacitus & prætermissus is qui eum misit, id quod ab usu Prophetarum abhorret.] Imbecillum sanè argumentum. Nam quamuis ex illis verbis, misit me, non satis constat, quis miserit: nonne satis tibi videtur, quod mox subiungit Dominus iste exercituum missus, Et scietis, inquit, quia Dominus exercituum misit me? quibus verbis abundè à quo sit missus, seu qui sit ille qui eum miserit edocet.

Scriptura alti-
quando reticet personam
de qua loqui-
tur.

*Deinde non satis rectè putas, abhorrere à Prophetarum usu reticere aliquando personam, ut non liquido constet, cui personæ illud quod dicitur conueniat. Afferam eius rei vnum exemplum, vel alterum. Anne Balaam Num. 24. v. 17, cum de Christo propheta-
tans ex*

Pro Christi diuinitate.

5

rans ex abrupto loquitur: Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope, nominasse tibi personam videtur, quam se visurum & intuiturum affirmat? *Isaïæ vero (cap. 6. v. 10.) cum præcipit Dominus exercituum, ut dicat ad populum, Excæca cor populi huius, ne fortè oculis videat, & conuertatur, & sanem eum, expressit ne personam, quæ erat excæcatura cor populi illius? Ne tam facile pronuncia in posterum Satiæ, aliquid præter morem Prophetarum esse, nisi prius diligenter singulas Prophetarum voces expendas.*

Neq; mireris obscuritatem Prophetarum, quibus illud vñitatum est, ut ea quæ loquuntur, cum ijs quæ vident coniungant, quo fit, ut sæpe personam mente retineant, sermonem vero de ea faciant, ac si mentio illius præcessisset: id quod non esset difficile, si opus foret, pluribus sacrarum literarum exemplis confirmare. Nunc illud sufficiat, quod D. Gregorius Magnus Homilia 2. super Ezechielem adnotauit; Ezechielem ita suam Prophetiam auspiciatum esse, ac si aliquam ante narrationem texuisset. Et factum est, inquit, in tricelimo anno, in quarto, in quinta mensis. Cur (inquit D. Gregorius) is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est dicens: Et factum est in tricelimo anno? Et, namq; sermo coniunctionis est, & scimus quia non coniungitur sermo subsequens nisi sermone præcedenti. Qui igitur nihil dixerat, cur dicit, Et factum est, cum non sit sermo, cui hoc quod incipit, ubiungat? Qua in re intuentum est, quia sicut nos corporalia, sic propheta sensu spiritualia aspiciunt, eisq; et illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantia absentia videntur. Vnde fit ut in mente prophetarum, ita coniuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul vtraq; videant, simulq; in eis fiat, & intus verbū quod audiunt, & foris quod dicunt. Patet igitur causa, cur qui nihil dixerat, inchoauit dicens: Et factum est in tricelimo anno, Quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat coniunxit. Continuauit ergo verba quæ protulit, visioni intimæ, & idcirco incepit dicens, Et factum est. Subiunxit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si & illud foris sit, quod intus vidit. Hæc D. Gregorius.

Mos Prophetarum.

Ats præterea, [nihil absurdius aut magis ridiculum excogitari posse (quamis ad vsarij sibi in eo valde placeant) quã ita scripturam interpretari,

Tertia Soci-
ni euasio.

pretari.

Mysteria di-
uina non sunt
humano in-
genio meti-
enda.

DOMinum
exercituum
mitti à Do-
mino exerci-
tuum non est
absurdum.

Quarta Soci-
ni euasio.

pretari, vt dicatur ipse Dominus exercituum ab aliquo mitti, & quidem ab ipso Domino exercituum. Itane vero tibi absurda & ridicula videntur, quæ diuino testimonio, in sacris oraculis expressa habentur? Si absurda vocas quæ humano ingenio euoluï non possunt, hoc vnum ex illis esse ingenue fateor. At non debes diuinam potentiam & virtutem ingenio tuo metiri. Dei enim vis & potestas omnem profectò cogitationis nostræ facultatem excedit. Quod si ita te amas, vt quæ tibi soli absurda esse videntur, à fide rejicienda putes: curohsecro tota Ecclesia Catholica, tot centurie sanctissimorum ac doctissimorum Patrum, qui fidelissimis commentarijs sacras literas illustrarunt, ad quos tu Socine comparatus, infans ac omnino nullus es, nullam in hoc absurditatem aduertere potuerunt? Certè vel tu ea non vides, quæ omnes vident, vel si vides, alia tamen credis, alia cogitas, eius te similem facis, qui omnibus videntibus solem in meridie lucentem, solus lucere pernegat.

Iam vero quid absurdi est Filium, qui est Dominus exercituum, mitti à Patre, qui etiã est Dominus exercituum? Id enim nõ pugnare cum ratione, ad finem libelli, ratione fusius demonstrabo. Quod si etiam demus, absurdum id alicui videri, propter tum mysterij profunditatem, tum mentis nostræ hebetudinem: an non animo Fide diuina imbuto satis esse debet, id (etsi creditu difficile sit) expressis verbis à Spiritu sancto assertum esse? Certè absurdus est Spiritui sancto, propter rationem ab humano inuento profectam, nolle acquiescere, eiusq; verba, quod angustijs humanæ intelligentiæ capi non possint, omnino rejicere, quam ducem & autorem veritatis inuita & renuente ratione sequi: vt quod magno illi Patriarchæ laudi tribuitur, qui in spem contra spem credidit, Rom. 4. v. 18. hoc cuius circa diuina mysteria faciendum sit, vt ratio, e fide collustrata contra humanam rationem credendo nitatur.

Ac ne aliquid fingendo Socinus omisisse videatur, ostendit illa verba, post gloriam misit me, non necessariò esse referenda ad Dominum exercituum, si nimirum vocula, Quod, interijciatur, hoc nimirum pacto. Hæc dicit Dominus exercituum, quod post gloriam misit me ad gentes. Ego vero Socini cum ita re-
spondet,

Respondet, proclamo, sacrilegum scripturæ corruptorem. Non enim minus scripturarum corruptor est, qui addit aliquid ad scripturam, quam is qui aliquid detrahit: utriusque sacrilegus est, utrumque eadem Dei vindicta sacrilegis constituta manet. Hic verò voculam (Quòd) Socinus interponit, quæ orationem totam immutat, & ad alium sensum transfert. Neque se tueri potest, si dicat: ad expressa quidem verba scripturæ se addere, non autem ad tacita quæ subaudiri debent. Nam quamuis concedam ea etiam quæ subintelligi debent, ad scripturam pertinere: nego tamen proprio cuiusque arbitrato, tum absque necessitate, tum contra scripturæ morem licere cuius, quæ libuerit subintelligere. Quod cum hic à Socino factum videam, iure illum corruptorem scripturæ appello. Quæ enim vel necessitas requirit, vel scripturarum consuetudo postulat, additionem huius vocule hoc loco fieri. Tunc enim vocula, Quòd, ut tacite expressa subaudiri debet, quando sine illa subintellecta, sensus & sententia orationis constare non potest. Hic vero nulla subintellecta tali vocula, planus est orationis nexus. Rectè enim intelliguntur verba illa, post gloriam misit me, coherere cum prioribus, Hæc dicit Dominus exercituum; ita ut sint illa ipsa verba, quæ dicit Dominus exercituum. Id quod in alijs quoque similibus loquendi modis, obseruatur in scriptura.

Socinus insignis corruptor scripturæ.

Accedit vsitatum & constantem scripturæ morem esse, quotiescumque ait, Hec dicit Dominus, verba quæ sequuntur, non per voculas coniunctiuas præcedentibus connectere, sed absolute referre tanquam verba Dei loquentis: ut vel ex hoc satis constet, Socinum cum vniuersa scriptura pugnare: cum contra communem scripturæ modum loquendi, voculas intrudit, quas scriptura non admittit. Deinde si quando in scriptura particula aliquæ subintelligenda sunt, id tunc præcipue fieri debet, quando particula subintellecta orationis sensum non immutat, sed eadem est sententia verborum, vocula adiecta, quæ fuit, sine tali adiectione. Hic verò cum Socinus voculam, Quòd adijcit, totum priorem sensum penitus euertit, & ad alium loquentem, orationem refert. Nam si nihil adijciatur, nemo dubitabit ex communi phrasi scripturæ, orationem & verba

Quando aliquid subaudiendum sit in scriptura.

Hebraica in sermone alterius referendo consuetudo.

Domini loquentis esse. Adiecta autem vocula, Quòd, trahi videtur oratio, ad aliam personam, quòd precipue Socinus collimabat. Deniq; non idem est Hebræis loquendi modus, qui nobis. Nobis enim vltatissimum est cum verba alicuius referimus, nostris ea verbis esse ferre. Hebræi verò cum dicunt, Hæc dicit Dominus, Hæc ait Dauid, ipsius siue Domini siue Dauidis verba nihil immutata, eodem modo quo ab ipsis prolata sunt, referunt. Quare hoc quoq; loco cum dicatur, Hæc dicit Dominus exercituum, verba quæ sequuntur, post gloriam misit me ad gentes, ita referuntur, ut ab ipso Domino exercituum prolata sunt. Quis autem non videat, si illa verba, post gloriam misit me, Dominus exercituum proferret, de sua non de alterius missione loqui. Consequitur ergo, ex his omnibus non posse Socinum nisi corrumpendo scripturæ sensum, & modum loquendi, voculam, Quòd, hoc loco adijcere. Quia non adiecta luce meridiana clarius est, Dominum exercituum dicere se missum ad gentes.

Vltima Soci-
ne uasio.

m i

Ad extremum Socinus adducit ex Hieremia Cap. 27. locum huic de quo agimus non absimilem, ubi sic legitur: In principio regni Ioachim filii Iosæ Regis Iuda, factum est verbum istud ad Ieremiam à Domino, dicens: Hæc dicit Dominus ad me. Fac tibi vincula &c. Sic ergo argumentatur. Si illa verba apud Zachariam, post gloriam misit me, ideo tribuenda sunt Domino exercituum, quia proximè antecedit, hæc dicit Dominus exercituum; parè ratione apud Ieremiam, proximè ante verba illa, hæc dicit Dominus ad me, scriptum est, factum est verbum istud ad Ieremiam à Domino, dicens: essent igitur tribuenda ista quoq; Domino exercituum, quod quæmo dixerit. Sed frustra Socinus conatur offundere tenebras in media luce. Quis enim non videat quàm sit dissimilis Ieremiæ locus, illi quem ex Zacharia attulimus? Nam Ieremiæ bis idem reperit, bis asserit, Dominum ad se locutum, quod enim dixerat, factum est verbum istud ad Ieremiam dicens: hoc secundo repetit paulatim immutatis verbis, hæc dicit Dominus ad me, non est igitur mirum sicut priora verba, ita & posteriora à Propheta proficisci. Quoties enim in scriptura legimus,

Hæc

Hæc dicit Dominus, toties ea vel à Propheta, vel ab Angelo aliquo dici reperimus: quæ vero post illa verba, Hæc ait Dominus, siue semel prolata, siue secundo repetita leguntur, ea dicimus esse verba ipsius Domini loquentis: id quod per omnes scripturæ partes discurrenti, millies occurrit. Cum igitur apud Zachariam loco citato, non repetitur secundo, sed semel tantum dicitur, Hæc dicit Dominus exercituum, propterea verba illa quæ proximè sequuntur, post gloriam misit me, dicimus pertinere ad Dominum exercituum. At apud Ieremiam bis illa verba repetuntur, Hæc dicit Dominus. Quare ea solum verba Domino exercituum tribui debent, quæ post iterationem illam subiunguntur, **Fac tibi vincula &c.**

Ex quo etiam efficacius contra Socinum argumentum sumitur. Nam si apud Ieremiam post illa verba, Hæc dicit Dominus ad me, quæ mox adduntur, sunt verba Domini exercituum, nempe illa, **Fac tibi vincula**, idq; non aliam ob causam, nisi quia proximè antecessit, Hæc ait Dominus ad me: cur non itidem illa verba apud Zachariam, post gloriam misit me, tribuamus Domino exercituum, cum immediatè præcesserint illa alia, Hæc dicit Dominus exercituum? Abi iam Socine quò libuerit & dicas Smiglecium sophistam agere, & principium (quod aiunt) petere cum ea loca Ieremiæ & Zachariæ diuersa esse ostendit. Non Smiglecus certè principium petit, sed Socinus ignoratione labitur: cum non bene Smiglecij verba secum ipse expendit.

At non illa solum Prophetiæ verba, de quibus hæctenus egimus, Hæc dicit Dominus exercituum, ostendunt manifestè Dominum exercituum, non quempiam alium missum esse: verum & illa quæ proximè subiiciuntur, Post gloriam misit me ad gentes. Quis enim non facile videat, hæc neq; in Angelum, ut vult Socinus, neque in quempiam alium conuenire vllò modo posse? ad Christum verò quem nos Dominum exercituum dicimus, maxime spectare? Commemoratur hic in primis gloria, quam iste mittendus primum consecutus, tum eam consecutus mitti ad gentes debuit. At quæ fuerit huius Angeli gloria, quandoque fuerit eam adeptus, neque sacræ literæ meminerunt, neque nos ratione aut argumento vllò assequi possumus.

2. A R G. ex
verbis. Post
gloriam misit
me ad gentes.

Angelus non
est missus post
gloriam, sed
Christus.

*Illustris proculdubio hæc gloria & minime ignota esse debuit, se
in signum & notam future missionis adducitur. At de Christi gloria
in Ascensione obtenta, & post eam gloriam missione ad gentes,
plurima sunt in diuinis scripturis testimonia. Quis enim nesciat,
oportuisse Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita in-
trare in gloriam suam. Luc. 24. tum illud Ioannis 7. Nondum
erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.
Quis item nesciat, non nisi post hanc gloriam in Ascensione obten-
tam, Christum ad gentes fuisse mittendum? Nam antequam Chri-
stus intrasset in gloriam suam: disertè fatebatur se non ad gentes
esse missum: sed ad oues tantummodo quæ perierant domus Israel.
Matt. 15. v. 24. Postquam verò cælum petiit & intrauit in glo-
riam suam, tum primum dari debuit in lucem gentium, & suæ Fidei
splendorem ad gentes vniuersas & vsq; ad extremum terræ trans-
mittere. Ita enim prædixit Isaias futurum Cap. 49. ver. 6. Pa-
rum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fce-
ces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt
sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Quo Isaiæ loco Paulus
& Barnabas Apostoli Actor. 13. ver. 47. confirmarunt se præ-
cepto diuino adstrictos fuisse, vt nomen Christi etiam gentibus infer-
rent. Ecce, inquiunt, conuertimur ad gentes. Sic enim præcep-
tit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium vt sis in sa-
lutem vsque ad extremum terræ. Quare hinc quoque licet in-
telligere, quomodo iste Dominus exercituum mitti debuit ad gentes:
non in persona scilicet propria, sed in persona Apostolorum, vt is ipse
quem modo citauimus scripturæ locus manifestè demonstrat. Neque
verò nobis licet alium missionis modum, præter eum quem Deus ipse
voluit, & in scriptura expressit confingere. Accedit quod iam ante
ver. 5. Dominus exercituum, gloriæ mentionem fecerat. Et in gloria,
inquit, ero in medio eius. Cum igitur mox post gloriam se mis-
sum asserit, illam proculdubio gloriam intelligit, de qua fuerat locu-
tus. Vt igitur nemo dubitat gloriam illam ad Dominum exercituum
pertinuisse; ita neque dubitari debet, missionem quæ hanc gloriam
subsecuta est, ad ipsum spectare.*

*Iam verò cum hoc loco non de quauis missione sed de missione ad
gentes*

gentes fit mentio, quis adeo hebes est, vt hanc missionem Angelo potius quam Christo tribuendam putet? Nam de missione istius Angeli ad aliquas gentes, nihil neque scriptura meminit, neque ulli sacri aut prophani scriptores meminerunt: ita vt non nisi somniando fingere oporteat eos, qui hanc Angeli missionem comminiscuntur: maxime cum non obscura aliqua, sed in omnium conspectu posita missio promittatur; utpote cuius interuentu, & gentes inimicae subiuganda, & diuina virtus atque potentia in vindicandis Iudæis, spectabilis omnibus proponi debuit: vt in eam rem solùm, adiectum sit. Et scies quia Dominus exercituum misit me. Atque vt cetera omittam, illud vnum mirè aduersarios premit, non de quacunque missione ad gentes, hic sermonem esse, sed de illa tantummodo, qua gentes ad Christi Ecclesiam aggregari et adiungi debuerunt. Hic verò Angelus nullas gentes conuertit ad Fidem, nullos populos ad Ecclesiam aggregauit: nullo igitur modo Angelo hæc missio competit.

Angelus non est ad gentes missus.

Vt autem vis huius augumenti constet: ostendendum est totam hanc reuelationem seu Prophetiam ad tempora Christi spectare: ex quo efficitur hanc quoque missionem ad gentes, non ante Christi tempora repletam esse, atque adeo non Angelo, sed ipsi Christo esse tribuendam. Id autem tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus, tum ex illis ipsis de quibus agimus verbis colligere licet. Angelus enim occurrens alteri Angelo, qui cum Zacharia ante loquebatur, & nouum ei vaticinium afferens, primo loco prædicit, innumeram quandam hominum multitudinem in Ecclesia futuram. ver. 4. & 5. Curre (inquit) & loquere ad puerum istum (Zachariam videlicet qui tum adhuc ætate puer erat) eique hæc annuncia & expone. Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudite hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius. Quis hæc manifestè non videat sub nomine Hierusalem ad Ecclesiam referri? Nunquam enim Hierusalem (si Palestineam intelligas) ita fuit hominibus referta, vt sine muris habitaretur, quin potius paulò post muros ædificare aggressus est Nehemias, vt ex cap. 2. 3. & 4. Nehemie constat: & si quando interrupti erant ab hostibus, continuo diligenter

Prima pars Prophetiæ.

Ecclesiæ Christi amplitudo.

diligenter reficiebantur 1. Mach. 4. Et edificauerunt (inquit) in tempore illo montem Sion: & per circuitum muros altos, & turres firmas; ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, sicut antea fecerunt. Quod verò dicunt nonnulli, tam celebrem fuisse populi frequentiam, ut eam muri non caperent, & pluri mi extra muros habitare cogerentur: certè hæc sola causa non sufficit; ut ciuitas absque muro dicatur habitari, si multi extra muros habitent. Quis enim nostram Vilmam, vel Cracouiam absque muris habitari dixerit, propter habitantium extra muros multitudinem? Sed & illa verba quæ mox adduntur, explicant verè absq; vllis muris habitandam fuisse Hierusalem. Ideò enim Dominus seipsum murum futurum esse promittit, quia illa scilicet omni alio muro erat destituenda. Et ego ero ei, ait Dominus, murus igneus in circuitu.

Non alium ergo murum, nisi Dominum ipsum, prædicitur habitura hæc Hierusalem. Quod vti in ciuitatem illam Hierosolimitanam conuenire non potest: ita pulchrè conuenit in Hierusalem istam spiritualem, id est Ecclesiam: cuius fines nullis muris circumscribi sed iisdem quibus terrarum orbis terminis, contineri debuerunt, ut ab ortu solis vsq; ad occasum esset laudabile nomen Domini: Psal. 112. v. 3. ad quam ex vniuersis gentibus, populis, linguis innumera erat conuentura multitudo. Quod sub eadem similitudine Hierusalem ita prædixit Isaias Cap. 60. v. 11. Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet. &c. Et venient ad te curui filii eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion sancti Israel. &c. Sugess lac gentium & mammilla Regum lactaberis. Idem prædixit multò ante Dauid de eadem Hierusalem Christiana Psal. 36. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, (id est, externæ gentes conuenient in Ecclesiam.) Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea? (hoc est propter hunc conuentum

conuentum tam celebrem, omnes dicent Sioni cum admiratione, homo & homo, seu plurimi homines nati sunt in te per Baptismum. Et in Psal. 71. de Christo ita vaticinatur Propheta. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei. Hæc est igitur vera causa, propter quam Hierusalem nostra, Christi Ecclesia absq; muro habitanda prædicitur: quia nullis concludenda terminis, sed totum orbem terrarum occupatura erat. Quia verò vrbs sine muris, hostium incursionibus & direptionibus patet: pro muro ipsum Deum habebit: qui quidem murus erit igneus, qui etiam eminus hostes terreat, nec machinis vllis dirui, aut vllò assultu transcendendi facile possit.

Secundo loco idem Angelus inuitat & conuocat omnes electos, 2. pars Prophetis. ex omnibus terræ partibus, vt fugiant ex terra Aquilonis, & confluant ad Ecclesiam. O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. Nemo iure dubitare potest, hic Angelum non Iudeos solum, sed omnes omnino electos alloqui, & ad Ecclesiam conuocare. Ex 4. orbis Illos enim alloquitur quos dicit esse dispersos in quatuor ventos cæli, partibus electi ad Ecclesiam vocantur. seu in totum terrarum orbem. Atqui Iudeos in omnes orbis terræ partes dispersos fuisse, nullus nisi fingendo dicere poterit. Electos verò per totum orbem dispersos, per Christum in vnum aggregandos fuisse testatur disertè D. Ioannes Cap. 11. cum ait: Caipnam prophetasse, quod Iesus moriturus esset pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Sed & ante Ioannem, Isaias Cap. 43. sic in hanc sententiam verba facit. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni, da, & Austro noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et apertius Cap. 11. Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt. Mirè Zacharias cum Isaiâ consentit: nam

quos



quos ille dicit dispersos in quatuor ventos cæli, & congregandos: hos apertius Isaias à quatuor plagis terræ, ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone, & Austro conuocandos asserit.

At inquiet quispiam, Angelum hîc euscare solum ex terra Aquilonis, id est ex Babylone, quæ respectu Hierosolime, rectè terra Aquilonis dici potest. In Babylone autem captiui soli Iudæi detinebantur, non autem omnes electi. Ad solos igitur Iudæos, non vniuersè ad electos omnes, ea spectat Angeli oratio. Verum hoc ipsum argumentum, & seipsum euertit, & nostram sententiam mirificè confirmat. Si enim per terram Aquilonis, unicam solam regionem Babylonis quis intelligat, in qua Iudæi miseræ seruitutis iugo per annos complures premebantur: quomodo quæso consistere potest Angeli vel potius Dei ab Angelo relata oratio, dicentis: Fugite de terra Aquilonis, quoniã in quatuor ventos cæli dispersi vos. Quomodo ex vnica terra Aquilonis fugere debuerunt qui in quatuor ventos cæli fuerant dispersi? Non igitur particularis illa terra in vna ex quatuor plagis mundi constituta, per terram Aquilonis seu Babylonem intelligenda nobis est: sed Babylon illa spiritualis, quatuor mundi plagas complectens, in qua vniuersum hominum genus captiuum detinebatur à principe tenebrarum, venundatum sub peccato. Ex hac igitur Babylone, & eius misera seruitute, vt fugiant electi in quacunque plaga mundi versentur, præcipit Deus, & ad Christianam libertatem quæ est in Christi Ecclesia vt euolent, benignè adhortatur.

3. pars Pro-
phetiæ.

Iam verò tertio loco Angelus Iudæos singulari ratione ad Ecclesiam Dei nomine inuitat, seu potius Deum inuitantem inducit. Iudæis enim præcipua ratione Messias, & omnia diuina promissa debebantur, vt D. Paulus docet ad Rom. Cap. 9. v. 4. Quorû, inquit, est adoptio filiorum, & gloria, & testamentû, & legis latio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundû carnem. Sic igitur ait. O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis: Ac si diceret: Tu quæ prima ante alias es adducenda ad Ecclesiam, cui primò prædicandû est Euangelium, tum verò per te gentibus: tu inquam Sion pars prima Ecclesiæ, quæ modo miseram in Babylone seruis seruauem, veni ad Ecclesiam

Ecclesiam. Quia hæc dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos. Qui enim tangit vos, tangit pupillam oculi eius: Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruibant sibi, & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Ac si diceret: Gentes quæ vos duræ seruitutis iugo presserunt, ego ipse subiiciam, ubi ad eas missus fuero, & in prædã vobis dabo. Mittar autem post gloriam, seu cum obtinuerò gloriam meam, & confedero ad dextram Dei Patris. Mittar à Domino exercituum, id est à Patre, Deus verus à Deo vero; mittar ad gentes vobis inimicas, quæ vos diu durã seruire seruitutẽ fecerunt. Mittar denique cū magna potestate, vt gloriosam de eis vindictam sumam. Tanta enim Patri meo cura de vobis est, vt quicumque vos per iniuriam tetigerit, ipsius Dei pupillam tangat, & Deum ipsum læsisse videatur. Efficiam igitur vt Gentes subjugandæ Iudeis per Apostolos, si quidem Apostolis meis, quos ego ex gente vestra eligam, omnes gentes se subiicient, & illis seruiant, ad illorum pedes venerabundã se prosternent, & eos magistros & duces vitæ perpetuo prædicabunt & colent: quod longè gloriosissimum victoriæ genus est. Et hoc est quod Cap. 5. v. 23. Zachariæ habetur. In diebus illis. Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, simbriam viri Iudæi, dicentes: ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est. Cum enim summæ subiectionis indicium sit, vsque ad simbriam alterius se demittere: fiet vt summa quadam subiectione gentes vniuersæ Iudeorum principatum sint agnituræ.

Gentes subjugandæ Iudeis per Apostolos.

Ex quibus colligitur, nõ promitti hoc loco Iudæis victoriã aliquam sanguine parandam, aut dominium temporale ferro & armis acquirendum. hoc enim nunquam Iudæis accidisse satis constat. Neque verò Babylonios quibus antè seruibant, vllò vnquam tempore ita subegerunt armis Iudæi, vt insignem aliquam hominum ex eis prædã duxerint. Necessè ergo est, hæc ad spiritualem victoriã spiritualibus armis comparandam, gladio (inquam) spiritus, quod est verbum Dei, referre. Quæ spiritualis victoriã non prius est ex gentibus reportata. quam Christus Dei filius post passionem & Resurrexionem

Victoria spiritualis.

Sionem in caelum conscendit, & in gloria Dei Patris consedit: adeo
 ut sit necesse hanc etiam prophetie partem, ad Ecclesiam & Christi
 tempora reuocare. Sed liber adijcere locum similem ex Isaia Pro-
 phetia, ut vel ex similitudine ipsa locorum, veritas intelligatur.
 Quod enim hic prædicitur; gentes quæ Iudeos spoliauerunt, & qui-
 bus Iudei seruiuerunt, in prædam à Iudeis agendas; hoc Isaïas Cap.
 6. ver. 14. alijs exprimit verbis. Afferetur (inquit) ad te forti-
 tudo gentium, & Reges earum adducentur. Gens enim &
 regnum quod non seruiert tibi peribit, & gentes solitudine
 vastabuntur, & venient ad te curui filii eorum qui humiliave-
 runt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui de-
 trahebant tibi; & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion sancti
 Israel. In Cap. verò 49. ver. 22. multo clarius. Hæc dicit Do-
 minus Deus. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad
 populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos, in vlnis
 & filias tuas super humeros portabunt, & erunt Reges nutriti
 tui, & Reginae nutrices tuæ; vultu in terra demisso adorabunt
 te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego
 Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum.
 Non est igitur dubium vel ex hac scripturarum inter se collatione,
 que hoc loco leguntur, de spiritali vindicta, victoria, & subiugati-
 one gentium intelligenda esse. Multis enim Iudeos malis varia gen-
 tes afflixerunt: sepius etiam dura seruitute oppræsserunt. Quod igitur
 in tantis malis solatium magis opportunum offerendum à Deo fuerat;
 nisi spes illius temporis, quo futurum erat, ut gentes ille immani-
 tate barbaræ, Iudeis colla submitterent, summaque animi demissione
 supplices eis tenderent manus. Id quod non vi, nec armata hominum
 manu fieri debuit, sed virtute & spiritu diuino animis peruersis: vbi
 salutis æterna rationem ex Iudeis esse agnoscerent, & dicerent:
 Quia salus ex Iudeis. Ioan. 4. v. 22.

4. pars Pro-
 phetia.

Quarto demum loco Sionem alloquitur, prædicens futurum, ve-
 Dominus exercituum in terras descendat, & cum hominibus con-
 uersetur: eius verò signum certissimum fore, gentium ad Deum
 conuersionem: Lauda (inquit) & latere filia Sion, quia ecce

ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes ad Dominum in die illa: & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Quis non facile videat, hæc ad Christi tempora spectare? Neq; enim cum se venturum, & in medio Sionis habitaturum pollicetur: alium quempiam aduentum intelligere possumus, præter illum, quem vniuersarum gentium ad Ecclesiam aggregatio consecuta est. Hoc enim indicat, cum ait: Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, illo scilicet tempore, cum venero, & habitauero in medio tui. Quod proprium esse Messie venientis signum & hinc intelligitur, quod in diuinis literis Messias quasi proprijs nominibus vocatur: Expectatio gentium. Gen. 49. v. 10. & cunctis gentibus desideratus. Agg. 2. v. 8.

Aduentus
Messie si-
gnum, Gen-
tium conuer-
sio.

Ex his igitur quæ in expositione huius Prophetie attulimus, duo consequuntur. Alterum, totam hanc Prophetiam ad Christi Ecclesiam & Messie tempora pertinere. Alterum, missionem ad gentes de qua hic agitur, minime in Angelum conuenire. Si quidem is, non dicam vniuersus, sed ne vllas quidem gentes ad Ecclesiam aggregauit. Verum quid contra hæc opponat Socinus audiamus. Ita enim scribit fol. 157. [Ex hoc argumento nihil aliud posset colligi: nisi duos esse, quorum vterq; sit & vocetur Dominus exercituum: sed quod alter eorum sit Christus, nullo modo: etiamsi certum esset hanc Prophetiam ad Christi tempora omnino esse referendam. Fit enim in ea aperte mentio de mittendo cum vltione ad gentes, quæ Iudæos afflixerant: quod certe Christi temporibus non est factum, nisi fortasse post ipsius glorificationem, post quam, sicut Christus non potest dici missus, nisi in persona Apostolorum, sic Spiritus sanctus ipsemet dicitur esse missus. vnde potius concludendum esset, illum alterum Dominum exercituum esse Spiritum sanctum.] Hæc Socinus.

At errat toto celo. Iisdem enim fere argumentis concluditur, & Deum exercituum missum esse; & hunc Dominum exercituum esse Christum. Nam inprimis missionem ad gentes conuertendas ad Dominum, Christo conuenire: docuit expressè Isaias Cap. 49. ver. 6. cum Deum Patrem ad Christum loquentem inducit; Parum est vt

Christus est
Dñs exercitu-
um missus ad
gentes, non
Spiritus san-
ctus.

sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et Cap. 42 ver. 6. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorū, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Si igitur scripturam per scripturam, Zachariam per Isaiam explicemus, fateri oportebit, Christo hanc prouinciam seu missionem ad gentes impositam esse à Deo Patre. Quare idem ipse, tanquam toti huic missioni præfectus, Apostolos creauit, & prædicandi Euangelii munus illis commisit; & ad hoc ritè præstandum, Spiritum sanctum elargitus est. deniq; in vniuersum mundum ire præcepit, vt vera Dei cognitione gentes imbuerent, & ad Ecclesiam Christi adducerent. Quamuis autem ipse in propria persona gentes non adierit; adit tamen in persona Apostolorum. Eam enim missionem hoc modo fuisse implendam, disertè docuit Paulus & Barnabas, Actor. 13. v. 47. Deinde cum post gloriam dicit se esse missum: an non satis indicat, se prius glorificatum iri, tum ad gentes mittendum? Hoc verò Christo competit, qui illam prius gloriam caelestè, ascendens super omnes celos, adit: tū verò gèribus sue veritatis lucè infudit. Ac verum quidem est, Spiritum sanctum quinquagesimo à Resurrectione Christi die, visibili ratione missum esse; at tamen illa visibilis missio ad Apostolos tantummodo, & Hierosolimam spectabat: hæc verò de qua agimus missio non ad Apostolos, neq; ad vnum aliquem terræ locum; sed ad gentes, & alias extra Iudæam regiones pertinet. Quare non eadem est cum Spiritus sancti missione. Deniq; hoc loco non agi de Spiritu sancto, sed de Messia, communi consensione interpretum constat: nec illa verba, Ecce ego venio & habitabo in medio tui, & applicabuntur gentes multæ &c. vlli melius quàm Messia accommodari possunt. Ipsum enim scriptura (vt diximus) hac veluti propria nota designat, cum eum vocat expectationem gentium, Gene. 49, ver. 10. & cunctis gentibus desiderat

Socini argumentum. Agg. 2. ver. 5.

mentum vanum.

Quod verò vrget Socinus, hanc missionem non esse factam temporibus Christi, nisi post ipsius glorificationem, proptereaq; non pertinere ad Christum; vanum admodum est, atq; infirmum. Quasi verò

tempora

tempora glorificationem Christi consequentia, non sint tempora Christi: aut quæ post glorificationem à Christo gesta sunt atq; perfecta, ad Christum non possint pertinere. Deinde, an non satis expressit scriptura, quando hæc missio celebranda & perficienda erat: nempe post gloriam Domini exercituum. Quid igitur mirum videri debet, Christum hanc missionem ad gentes, non nisi post gloriam in celo obtentam obuiisse, si ita debuisse fieri, & scriptura docet, & Dominus exercituum mittens voluit? [At enim (inquit) post gloriam Christus non potest dici missus ad gentes, nisi in persona Apostolorum?] Fateor sanè, Christum postquam in celum ascendit, non posse dici missum in persona propria, vt per seipsum missionem exequi debuerit. Nunquam enim ex quo sedit Patris ad dexteram, coelum reliquit, neque relinquet, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Oportet enim eum (inquit Lucas Actor. 3. v. 21) cælum suscipere, vsq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus, per os sanctorum suorum à sæculo Prophetarum. At quo minus dicatur missus in persona Apostolorum, non modo repugnat nihil; sed etiam requirunt id aperitissima scripturæ verba. Hoc enim modo missionem Christi hanc mandandam fuisse executioni, intellexerunt duo Apostoli Paulus & Barnabas Actor. 13. v. 46. Ecce cõuertimur ad gētes. sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Quis hæc non videat, ea quæ de Christo gentibus dando prædixit Isaias, Apostolos ad se pertinere intellexisse & non aliam ob causam, nisi quòd ipsi huius rei executores esse debuerunt: & in persona Apostolorum Christus gentibus erat conferendus. Cui affine est quod legimus Isaiæ Cap. 55. v. 4. Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac præceptorem gentibus. Procul dubio testis, Ducis, ac præceptoris gentium munus, non nisi in persona Apostolorum obuiat Christus: qui tamen absolutè dicitur datus in testem, Ducem, præceptorem gentibus. Quæ ergo ratione Christus dicitur in persona Apostolorum datus gentibus, per quos nomen & Fides Christi ad gentes peruenit: eadem dici poterit missus in persona Apostolorum, qui loco & vice Christi gentes adierunt, & pro Christo legatione functi sunt.

Christum in persona Apostolorum mitti debuisse ad gentes scriptura docet.

At

Messia ad-
uentus forma
quadam vlti-
onis in scri-
ptura propo-
nitur.

At commouet Socinum illud, quod aperte hic fit mentio de mittendo cum vltione ad gentes: quod Christo neuitquam conueniat. Sed commouere ista merito non debent; si modo consideret, frequenter in scripturis aduentum Messia forma quadam vltionis & vindictæ proponi. Afferam vnum atq; alterum exemplum. Isaias de Christo sic vaticinatur Cap. 36, v. 4. Confortamini & nolite timere. Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutotum. Nemo opmor inficias ibit, his verbis Dei Messia aduentum describi. Id eum ex adiunctis miraculis liquido patet: quæ præter Messiam nulli alteri contigerunt. Quare ex his veluti certissimis Messia venientis notis, se verum Messiam esse, illum videlicet qui venturus prædicabatur in mundum, ad afferendam mortalibus salutem, Christus ipse discipulis à Ioanne missis probauit Matth. 15. v. 30. Hunc igitur Messiam cum venturum prædicit Propheta, vindictæ & vltionis meminit. Vltionem, inquit, adducet retributionis. Zacharias verò de temporibus Messia sic loquitur Cap. 12. Et erit in die illa; quæram contere omnes gentes quæ veniunt contra Hierusalem: Et effundam super Domum Dauid, & super habitatores Hierusalem Spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt. Plura eiusmodi apud Prophetas legenti occurrunt: ut vel ex vsitato Prophetarum more nemo mirari debeat, Messia aduentum cum vltione gentium coniungi: maxime cum ex iisdem scripturis satis constet, quæ & qualis hæc vltio esset futura: illa nimirum de qua Zacharias Cap. 8. v. 22. & Isaias Cap. 60. v. 14. Et venient ad te curui filii eorum qui humiliauerunt te: & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion sancti Israel. Nempè salutaris hæc vltio gentibus, glorifica verò Iudeis erat futura. Gentes siquidem per homines Iudeos, id est Apostolos, ad Ecclesiam erant adiungenda: ex quo fieret, ut homines Iudei toti mundo præficerentur, & sumus eis ab omnibus honor cum subiectione & veneratione singulari deferretur, Sed de his iam satis.

Et si

Et si que hæcenus ex verbis Zacharie de Domino exercituum misso adduximus: satis superq; ostendunt, non alium à Domino exercituum missum esse, nisi ipsum Dominum exercitum; tamen ea que sequuntur, non minore opinor vim habent, ad ea que diximus comprobanda. Ita enim deinceps apud Zachariam legimus. Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Quis non videat quàm mirè hæc cum prioribus consentiant? Qui enim se missum esse ad gentes prædixerat; iam quasi exequens missionem, aduentum suum, & gentium conuersionem Sioni pollicetur. Habitabo, inquit, in medio tui, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Sic igitur licet argumentari. Vnus atq; idem est, qui dicit, Ecce venio, cum eo qui paulò antè dixerat se esse missum: at Iehoua non quisquam alius dicit, Ecce venio, & habitabo in medio tui. Non igitur licet dubitare, ipsum Iehouam esse, qui se missum asseruit. Prior propositio probatione non indiget: nisi forè alius existimandus sit venisse, quàm qui fuerat missus: ita vt irrita fieri, vel certè reuocari missio facta debuerit: quod à diuinis moribus, & à ratione ipsa alienum est. At ne quis existimet illam missionem esse aliam, & multum ab hoc quem Iehoua pollicetur aduentu differre: scriptura ipsa omnem in hoc genere dubitationem eximit. Imprimis enim constat, tum illam missionem, tum hunc aduentum, ad Christi & Ecclesie tempora pertinere. Vt enim illa missio ad gentes Christo subiiciendas dicitur esse instituta: sic & hic aduentus conuersione gentium, & applicatione ad Deum verum, velut propria & peculiaria nota insignitur. Neq; enim aut gentes Iudæis aduersæ, unquam in ipsorum manus venerunt, nisi cum prædicantibus viris Iudæis, id est Apostolis, colla subiecerunt: aut applicatio multarum gentium ad Dominum, & in populum Dei adoptatio, alio quopiam tempore facta est; nisi cum Christus Dei filius, post gloriam in caelis partam, missus est ad gentes, vt esset in Ducè, testè, præceptorè gentibus. Deinde

3. ARG. ex
verbis, Lauda
& lætare &c.

inde quamuis hic aduentus præcipue ad Iudeos, illa verò missio potissimum ad gentes spectet: tamen & in illa missione hic aduentus continetur, & in hoc aduentu illa missio insinuat; ita ut necesse sit fateri, & hunc aduentum, & illam missionem rem eandem esse, & ad eandem personam pertinere. Prædicitur enim missio, sed post gloriam; gloriam verò non nisi per passionem & mortem obtinere debuit Christus Luc. 24. Oportuit enim Christum pati & resurgere à mortuis, & sic intrare in gloriam suam. Prius igitur ad Sionem venire debuit, tum per passionem gloriam obtinere, demum post gloriam ad gentes mitti. Cum verò aduentus ad Sionem promittitur: statim adiungitur id quod talem aduentum subsequutum erat, nempe ad gentes missio. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa; & erunt mihi in populum. Non igitur missionem illam ab hoc aduentu licet disiungere, veluti quid diuersum; quin potius ad eandem personam vtrumq; æquum est referre: cumq; satis constet, eum qui se venturum pollicetur, esse Iehouam: similitudine constat eum qui se mittendum prædicit, esse quoq; Iehouam, & Dominum exercituum.

Id verò magis confirmant illa quæ mox subiiciuntur verba. Et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Hebetem certè aut maliciosum oportet esse: qui hæc verba ad Iehouam ipsum non putet esse referenda, eiusdem enim est hæc tota oratio, particulis coniunctiuis, Et, etiam atq; etiã colligata. Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Cur enim quater repetita particula, Et, verba quæ sequuntur ad eiusdem Dei loquentis orationem referat; quinto verò loco addita, non coniungat orationem, sed potius seiungat; & ad alium quempiam contra vim & naturam suam transferat? Habet siquidem natura sua vim coniungendi, non disiungendi orationem, maxime cum neq; orationis materia mutatur, neq; personæ ad quas habetur sermo: & cum præcedenti oratione apte conueniat. Deinde quem obsecro designat illa particula, Te, cum dicitur, misit me ad

me ad te, eum proculdubio, quem & præcedens particula, Tui, designabat. Ad eundem enim utrumq; dicitur; Et habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te, Cum igitur particula, Tui, Sionem designet: consequens est ut & particula, Te, ad Sionem spectet. Ad Sionem autem non loquebatur Angelus, sed Dei loquentis verba referebat. Non Angeli igitur sed Dei hæc quoq; erit oratio. Et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Ex quo etiam illud consequitur, Deum qui dicit Sioni, Ecce venio, dicere eidem Sioni, Quia Dominus exercituum misit me ad te: ut modum & rationem sui aduentus ostendere voluisse videatur: quod non quocumq; modo venturus esset; sed tanquam à Domino exercituum missus.

Hæc sunt quæ ad explicandum & confirmandum tam illustre pro Christi diuinitate testimonium, è medijs scripturis afferenda videbantur: ut ostenderemus nempe Christum Dei filium, esse Iehouam, & Dominum exercituum à Patre missum: ideoque eundem cum Patre Deum. Nam cum scriptura unum tantum Deum Iehouam prædicet: non solum autem Patrem, sed etiam Christum Iehouam nominet: quid aliud inferre licet, nisi Filium eundem cum Patre Iehouam esse? Est autem tanta huius argumenti vis (totum siquidem è diuinis literis petitum, non humano ingenio excogitatum est) ut eam aduersarij cum suslinere non possint, neq; è sacris literis infirmare: ad humana præsidia confugere cogantur: ad leues inquam & sophisticas ratiunculas, quibus id quod dicimus, cum ratione pugnare ostendant.

Christus vnus
cum Patre
Iehoua.

Quid enim, inquitur

Humana &
sophistica
contra scri-
pturas rati-
uncula.

Si Pater est Deus, Christus itidem est Deus, erunt proculdubio duo Dii, duo Iehouæ, non vnus.

Deinde, mittentem & missum diuersos esse oportet: Si igitur Dominus exercituum mittit, Dominus exercituum mittatur: erunt duo distincti Domini exercituum.

Deniq; is qui ab alio mittitur, est illo inferior. Non potest igitur summus Deus qui superiorem non habet, à quopiam mitti. Ex quibus ratiunculis inferunt; quamuis expressè legatur in scripturis, Dominum exercituum missum esse à Domino exercituum; hoc tamen

alio quopiam sensu accipiendum esse, ne in dicta absurda incidamus. At quæ vis rationum contra diuinæ scripturæ veritatem esse potest? Num stultitia rationis humanæ diuinam corrigit sapientiam? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? inquit S. Paulus, Rom. 9. Si enim magnum, si immensum, si incomprehensum cogitatu Deum esse credimus: an non necesse est maiora de eo cogitare & credere, quàm quæ ratio assequitur? quod si ratio diuinæ auctoritati repugnet, ut falsam & errantem contemnere, atq; rejicere oportet. Quamquam cum rationis lumen, ab autore naturæ Deo nobis inditum sit, sitq; diuini luminis participatio & deriuatio quedam: nullo modo existimandum est, cum diuina veritate pugnare. Aliud enim est quod rationem excedit & superat: aliud quod rationi aduersatur. Neq; censendum est contra rationem esse, quod ab aliquo exigua vi intelligendi prædico capi & comprehendere non potest. Huiusmodi sunt illa, quæ de Deo trino & vno Fides Catholica docet: quæ ita remota sunt à communi intelligentia: ut à nullo credi possent, nisi diuina auctoritate firmarentur. Nobis igitur instar mille rationum est Dei verbum, & Ecclesiæ Catholicæ (quæ columna est & firmamentū veritatis 1. Tim. 3.) constans ac perpetua doctrina. Quo veluti fundamento prædicto, non est admodum laboriosum: ea quæ contra obijciuntur refellere, & falsitatis coarguere.

Quod fiet si prius ratione ostendamus, duo in Deo consideranda esse: Personam & naturam: vtrumq; scriptura commemorat. Natura diuinæ meminit 2. Petri 1. v. 5. Diuinæ facti confortes naturæ, eamq; nunc diuinitatem Rom. 1. nunc formam Dei. Phil. 2. appellat. Personæ verò seu hypostasis mentionem facit, tum Hebr. 1. vocans Filium Dei Characterem Hypostasis seu personæ Dei. κατὰ τὴν ἰδιότητα αὐτοῦ. tum alibi, quotiescunq; Patrem & Filium meminit. Patrem enim & Filium personas esse, nemo negare potest. Verum quantum sit inter personam & naturam discrimen, ex rebus creatis colligere possumus. Aliud enim est hominis natura, aliud persona. Natura essentiam, Persona eum qui habet essentiam designat. Natura communicari potest alteri: personæ communicari repugnat. Neq; enim Pater verbi gratia personam suam

Ratio nullo modo cum diuina veritate pugnat.

Natura diuina.

Persona.

Naturæ & personæ discrimen.

suam paternam in generatione tribuit Filio: sed solum naturam, quam ut communem habet cum Filio: ita persona plurimum ab eo distat. Neque enim Pater is est, qui Filius: tamen sit eque homo ac Filius. Præterea nature non tribuitur operatio sed personæ, & supposito: quod & Philosophi docent, cum asserunt, Actiones esse suppositorum: & communis modus loquendi ostendit. Non enim animam, aut corpus propriè quispiam dixerit ambulare, dormire, sentire; sed eum qui anima, & corpore constat, quicquid ad has functiones obeundas, tam animæ quam corporis ministerio vitur. Ac ut planius loquar: Persona est id quod subsistit in natura: Natura verò est ipsa essentia rei subsistentis. Quare tantum inter naturam & personam discrimen esse oportet: quanta est inter essentiam & subsistentiam differentia. Sicut enim essentia ad naturam spectat: ita subsistentia ad personam. Quis autem non videat inter subsistentiam & naturam plurimum interesse: cum subsistentia modum in se existendi; natura verò essentiam solum dicat. At existimabit fortasse quispiam naturam solum communem, à persona differre: non verò naturam indiuiduam, & singularem. Id enim trita illa personæ definitio à Bœtio tradita indicare videtur. Persona est nature rationalis indiuidua subsistentia. Verum quemadmodum à natura communi, persona distat sua subsistentia: ita & à natura singulari ac indiuidua. Neque natura indiuidua personæ rationem habet: nisi accedat subsistentia, sine qua personæ ratio constare non potest. Quare in definitione illa, Bœtiana nomen indiuidui, vel non ita strictè accipiendum est, ut cum singulari recurrit: sed ut incommunicabilem subsistentiam significat: aut si illo modo sumatur: addendum proculdubio erit ad definitionem (quod non pauci viri graues & docti faciunt) Nomen, (Incommunicabile) ut dicatur Persona, nature rationalis indiuidua, & incommunicabilis substantia.

Natura singularis sine subsistentia non est persona.

Cum igitur hæc in rebus humanis videmus, erigimus animum ad inuisibilia & increata: quæ per ea quæ facta sunt, intelligenda docet Paulus Rom. I. Intelligimus igitur in Deo naturam esse & personam: Patrem (exempli causa) & esse Deum propter naturam diuinam, & Personam diuinam, propter subsistentiam relatiuam. Et

Natura vna,
personæ plu-
res in diuuis.

naturam quidem vnã esse; cùm diuinæ literæ vnũ tantũ Deũ prædicent: personas autem plures: siquidem eadẽ diuinã literã, illam vnã Dei naturam tribuunt Patri, Filio, & Spiritui sancto: vt in vnitãtẽ naturæ, trinitas personarum, & in personarum trinitate, vnitas adoretur naturæ. Neq; verò id magis à ratione abhorret: quàm si dicamus, vnã naturam tres hypostases seu subsistentias habere, & triplici modo propter summam suam fecunditatem subsistere: cùm persona nihil aliud quàm subsistentiam, ad naturam adiungat: sitq; persona, natura ipsa incommunicabili modo subsistens. In hoc autem nihil vel impossibile, vel cum ratione pugnans continetur. Quare neq; videri Aduersariis debet ad credendum absurdum: cum asserimus tres diuinas personas, vnã & eandẽ diuinã naturam habere: & naturam quidem communicari Filio à Patre; paternam verò personam esse prorsus incommunicabilem: Filium non esse Patrem, propter personarum & hypostases distinctionem: esse tamen eundẽ cum Patre Deum, propter naturæ vnitatem; Patrem esse Deum ingenitum, quia diuinitatem ab alio non accepit; Filium esse Deum genitum, quia per generationem, diuinã à Patre naturam habet: non autem quia natura diuina fuerit genita. Hoc enim nefas est de diuina natura cogitare: cùm sui nullum authorem habeat à quo producatur. Imò neq; ad rationem generationis id requiritur: cum de ratione generationis solum sit, vt subsistens in natura generetur: non verò vt natura ipsa producatur. Ita enim homo (verbi gratia) verè generat hominem: quamuis neq; animam generat (hæc enim creatur à Deo & infunditur corpori ad eam ritè disposito) neq; materiam corporis (ea enim ab initio mundi creata semper eadẽ perseuerat, & neq; rebus pereuntibus perit, neq; genitis gignitur, vt rectè Physici docent) solum autem actione sua efficit genitor: vt anima corporis materiæ vniatur, componaturq; vnũ subsistens in natura humana, ex anima constans & corpore. Vereor ne hæc quæ dicimus altiora sint, quam vt ab Aduersariis capi possint, etiã is qui se aliquid scire iactitat. Verum & ipsa mysterij altitudo hanc difficultatem parit, & ignoratio altioris doctrine: meum autem fuit ratione ostendere: quæ vt absurda obijciunt Aduersarij, contra rationem non esse.

Ad generati-
onem non
requiritur
naturæ pro-
ductio.

Iam igitur primum illud argumentum, consecutionis inficiatione diluitur. non enim si Pater est Deus, Filius quoque est Deus, consequitur Patrem & Filium duos esse Deos. Duo siquidem Dii dici non possunt nisi à duplici deitate: in quibus autem vna & eadem est deitas: eos vnum Deum esse oportet. Nos igitur Patrem & Filium duos esse facile concedimus (non enim Pater est Filius, neque Filius est Pater) non tamen concedimus dici duos, propter duplicem naturam, sed propter duplicem in eadem natura subsistentiam. Quare multo firmiter fuisset Adversariorum ratiocinatio; si ita argumentati fuissent: Pater est Deus, Filius est Deus. Sed Deus est vnus tantum. Ergo Pater & Filius sunt vnus Deus: secundum illud Ioan. 10. Ego & Pater vnus sumus. Hæc enim consecutio longè ad veritatem propensior fuisset, & cum diuinis literis magis consentiens. Et quamuis huius rei sufficiens exemplum in rebus creatis inuenire non possumus: possumus tamen asserere aliquod, non ad probandam, sed ad insinuandam intellectui mysterii veritatem. Cogitemus eandem animam simul existere in duobus corporibus: quod licet naturæ facultatem excedat, non tamen diuinam potestatem superat. Hic proculdubio intelligimus duos esse, propter diuersitatem corporum: vnum autem propter animæ vnitatem: quin etiam duos istos esse vnum hominem, non duos, vnius animæ respectu. Actus enim & forma, tam esse quam vnitatem tribuit rei: ex quo etiam consequitur, vnam horum duorum esse formam & essentiam, vnam operationem, intellectiōem, voluntatem: vt vnus sine altero nihil velit, cogitet nihil: sed eadem sit veriusque voluntas & cogitatio. Adde re etiam cogitando possumus, vnam animam in duobus istis existere per communicationem quandam: ita vt vnus alteri suam animam impertiat et communique: quod etiā diuina potestate fieri potest. Siquidem vt vnum corpus disiuncta interuallo loca simul occupare potest vi diuina: ita & vna Forma duo simul corpora afficere. Quam perspicue hinc apparet non esse impossibile, quod de diuina generatione credimus: nempe eandem que in Patre est diuinam naturam Filio communicari; vt tam Pater, quam Filius communi natura & virtute præditi, vnum sint, vnumque operentur. Quod si cum hæc in

Prima Adversariorum ratio diluitur.

Exemplum concipiendæ in rebus creatis Trinitatis.

rebus.

rebus creatis contemplamur, nihil quod repugnēt inuenimus: cur in Deo pugnantia esse credamus?

2. ratio dilu-
itur.

Natura non
mittitur sed
persona.

Iam verò secundum argumentum simili modo refellitur. Mittentem enim, & cum qui mittitur, distinctos esse oportere nemo ambigit. quis enim seipsum mittat? Verùm diligenter inspiciendum est, in quo debeat ista esse distinctio, num in natura, an verò in personis? Proculdubio missio distinctionem naturarum non requirit: cum in natura mittens, & is qui mittitur conuenire possint. Homo enim hominem mittit, Angelus quoq; Angelum. At distinctionem in personis requirit omnino: tum quia tam mittere, quam mitti, personæ sunt attributa, non naturæ (natura siquidem non mittitur sed persona) tum quia in eo mittens, & qui mittitur, debent esse distincti, cuius respectu conuenit mittere & mitti. Cum ergo personæ propriè conueniat tum mitti tum mittere: in personis debet esse, inter mittentem & missum distinctio. Pari ratione assero, inter genitum & generantem non requiri necessariò distinctionem in natura; sed solum in persona: quin potius ratio generationis postulat, ut id quod gignitur, in natura sit simile genitori: quanto igitur perfectior fuerit generatio: tanto perfectior exisset similitudo. Ergo si in creatis rebus generans potest rem genitam reddere sibi similem in eiusdem speciei natura: increatæ generationis vi (quæ infinita perfectione creatas omnes superat) poterit genitum esse eiusdem, non modo secundum speciem, sed etiam secundum numerum, naturæ. Accedit quod ad perfectionem generationis spectat, perfectissima naturæ communicatio. Nemo autem negauerit, maiorem naturæ communicatione esse, si generans suammet naturam, non aliam ei similem imperiat genito. Hanc igitur generationis perfectionem, diuinæ illi generationi, quam perfectissimam esse oportet, tribuere debemus. Erit igitur persona diuina genita, eiusdem naturæ diuinæ cum genitore. Quin etiam hunc communicandi modum postulat ipsa diuina natura: quæ propter infinitam suam perfectionem diuidi in multas non potest: sed vna & eadem manens communicari debet. Naturarum enim distinctio, ex certa & suis limitibus circumscripta perfectione proficiscitur. Neq; enim vna ab altera differre posset: nisi utraq; aliquid proprium & peculiare haberet, quo careret altera; atq; adeò nisi

tertis perfectionis terminis esset definita. Quod uti in naturas creatas propter illarum imperfectionem conuenit: ita in diuinam naturam ob immensam eius perfectionem conuenire non potest. Si igitur generari potest Filius *ὁμοῦσιος* Patri: quid ni etiam mitti possit, cum magis generatio quam missio diuersitatem nature pascere videatur? Non igitur ex missione distinctio naturarum (sed personarum duntaxat) ullo modo euinci & concludi potest.

Venio ad tertium argumentum, quod nullo negotio dilui potest: 3. ratio diluitur.
 si negetur totum id quod assumit. Vt enim libenter do, aliquam missionem esse, quæ à superiore pro authoritate iubente & imperante fiat (quo modo famuli à suis mittuntur Dominis) sic ut de omni missione hoc asseratur, nulla ratione concedo. Quoties enim etiam in humanis, ei negotii conficiendi cura demandatur, qui vel sit nobilitate par, vel etiam superior? Neque enim missio semper fieri per imperium debet, sed fieri etiam sine ullo imperio potest: facta potestate negotii alicuius aut operis exequendi, solius voluntatis interuentu. Quia igitur voluntate Dei Patris factum est, ut Filius Dei hominum causa fieret homo: propterea ad homines dicitur missus. In quo nihil cernitur indignum persona Dei, nihil à ratione alienum. Nam quemadmodum ut velit Filius quæ vult Pater, non debet esse Pater inferior (siquidem eadem est Patris & Filij voluntas) ita neque ut mittatur à Patre.

Ac ne aliquid ad plenam responsionem deesse videatur: paulò subtilius, ut in re abstracta, explicabo; quid Catholici Doctores de missione personarum diuinarum sentiant. Duo igitur ad missionem requirunt, originem & manifestationem eius quæ mittitur personæ. Hoc autem non consinxerunt, sed tum in sacris literis legerunt scriptum, tum ratione didicerunt. Ita enim (ut cætera mittam) suam Christus missionem descripsit Ioan. 16. v. 18. Exiui, inquit, à Patre, & veni in mundum. In primo originem suam designauit: in altero manifestationem. De illo enim exitu loquitur, de quo apud Micheam legimus: Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Mich. 5. v. 8. Quod ad æternam Filij Dei ex Patre generationem pertinere, docuimus in libro nostro De diuinitate Filij Dei articulo

articulo 2. cap: 9. quin & hæc ipsa quæ ex D. Ioannè adduximus, indicant exitum illum à Patre, antecessisse Christi in mundum aduentum. Quare priusquam fieret homo ex virgine, iam ex Patre exiuerat per æternam generationem. Cum verò adiungit, *Et veni in mundum*, modum indicat, quo se manifestum fecit hominibus, apparendo in carne: quia scilicet is qui diuinitate fuit mundo inuisibilis, factus est in carne visibilis.

Quin & ratio ipsa suadet, illa duo ad missionem personæ diuinæ prorsus esse necessaria. Etenim cum is qui mittitur, debeat ab eo qui mittit, procedere: consequens est personam diuinam si verè mittitur, debere aliquo modo esse à mittente. Nullus autem alius procedendi modus in diuinis cogitari potest, nisi per originem. Origo enim facit, vt vna persona sit ab alia, vtq; tum essentiam, tum omnem potestatem accipiat ab illa. Quare quod in humanis est subiectio vel subordinatio illius qui mittitur, eius respectu qui mittit: hoc in diuinis est origo personæ missæ à mittente. per eam enī persona quæ mittitur sit quodammodo capax missionis, & ad hoc vt mittatur accommodata. Quod si origo personarum sit absq; vlla inæqualitate personarum: pari ratione & missio. Ex quo intelligitur vniuersè de missione loquendo: non requiri vt is qui mittitur, sit ei qui mittit, tanquam inferior subiectus: requiri tamen, vt aliquo saltem modo ab eo existat & procedat.

Cum verò qui mittitur debeat se presentem ei ad quem mittitur facere: non est quantum ad hoc eadem de Deo & rebus creatis ratio. In humanis enim is qui mittitur, per loci mutationem exequitur missionem, & se ei ad quem mittitur representat. Deus verò cuius natura nullis terminis circumscribitur, alium modum veniendi ad homines habet: non per loci mutationem (hoc enim in Deū vbiq; existentem & omnia implenti non cadit sed vel per aspectabilem aliquam formam assumptam, per quam in oculos mortali um incurvat, vel per aliquem conspicuum effectum, quem in hominibus faciat. Cuius rei exempla plurima in diuinis literis occurrunt. Dico igitur Filium Dei, quatenus oritur à Patre, posse à Patre mitti: tunc autem missionem exequutum esse, cum ex Patris voluntate, vel carne assumpta,

Missio Filij
Dei à Patre,

vel

vel aliquo illustri effectu se conspicuum hominibus fecit ubi, ubi antea erat inuisibili maiestate. Verbum enim antequam caro factum est, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus cum non cognouit, vt D. Ioan. Cap 1, docuit. Ibi ergo coepit apparere in carne: ubi ante fuerat inuisibili Deitate.

Vnum solum superest dissoluendum: quod in scripturis habemus Filium à Spiritu sancto, à quo non procedit, missum esse. Verum non habet ea res magnam admodum difficultatem: si dicamus, Filium secundum humanam tantummodo naturam missum esse. Duplex enim Filii Dei missio commemoratur in scriptura: altera qua dicitur in mundum missus vt carnem assumeret: altera cum in carne assumpta legitur missus ad sanandos contritos corde, ad prædicandam captiuis remissionem. Prior ergo missio nullo modo tribuitur in scriptura Spiritui sancto: sed tantummodo Patri. Ita enim & Christus de seipso loquens testatur. Ioan. 10. ver. 36. Quem Pater, inquit, sanctificauit & misit in mundum. Et Apostolus ad Rom. 8. v.

Missio Filij
Dei à Spiritu
sancto.

3. Deus Filium suum mittēs in similitudinē carnis peccati. Et ad Galat. 4. ver. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Cum enim Filius à solo Patre existat, à solo etiam Patre mitti potest. Posterior verò missio tribuitur etiam Spiritui sancto. Quamuis enim Christus, vt Deus, non sit à Spiritu sancto tamen vt homo, id est humane nature respectu, à Spiritu S. existit, ab eoq; diuinis illis donis est inunctus. Quā ob causam sicut legitur ductus à Spiritu sancto in desertum Luc. 4. v. 1. ita etiam legitur ab eodem missus ad prædicandam captiuis remissionem. Isaiæ 61. v. 1.

Ac vt vniuersè de diuinis missionibus loquamur: dicimus nullam personam diuinam mitti ab alia posse, nisi procedat ab illa: cum ad rationem vtriusque missionis requiratur, vt qui mittitur, sit aliquo modo à mittente. Quare Deum Patrem venire quidem ad homines, vt in eis per gratiam habitet, legimus: mitti verò ad homines nusquam legimus: cum ab alio non procedat: Spiritum verò sanctum, qui tam à Patre quam à Filio procedit, ab utroq; legimus missum. Deniq; Filius qui à solo Patre secundū diuinā naturam procedit, ab eodem solo mittitur: quamuis factus homo, ratione humane nature missus etiam est à Spiritu sancto.

Sed non patiar vltra me abripi ad ea, quæ Aduersariis eo ingratiore scio: quo minus ab illis comprehendi possunt. Dicenda tamen ea fuerunt, quia ad rationes prouocarunt: vt vnde nos appetunt, inde labefactentur magis; & iacula quæ in nos contorquent, in eosdem recidant. In promptu enim nobis est, in tam bona causa, quoties id opus est, utroq; armorum genere cum Aduersariis decertare, tum testimoniis diuinis, tum rationibus & argumentis ex scriptura ipsa petitis & confirmatis.

Socini cauil-
lationes.
I.

Vnum restare mihi videtur: vt quæ Socinus ad finem libri de mea assertione rigide censuit supercilio, breuiter refellam. Miratur inprimis me tanti facere, quod in verbis Zachariæ habetur de diuinitate Christi testimonium. Facio sanè, vt debeo plurimi & faciendum duco. Quid ni enim æstimem, quod ante me sanctissimi & doctissimi viri, & æstimarunt plurimum, & sufficere iudicauerunt ad profligandam illorum audaciam, qui posuerunt in cælos suum Psal. 72. ver. 9. Frementes aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Psal. 2. v. 2. Certe quæ ad hoc vsq; tempus Aduersarii ad infirmandam huius testimonii auctoritatem attulerunt: ita sunt vel violenta vel futilia; vt non sint facile fidedem apud aliquem, nisi præiudicatæ opinionis hominem inuentura. Nam quod ait Socinus me ægerrimè tulisse, tam diligenter ac copiosè ab ipso dilutum fuisse hoc argumentum: tantum abest à veritate: vt potius ferre non potuerim summam hominis pertinaciam, qui ve aliquid diceret, extrema desperantium more tentauit. Ita enim fol. 35. scripsi. Testimonium hoc, Socinum ad eas angustias impulsisse: vt cum se vndiq; constrictum videret, & Grammaticæ regulis, & ordine verborum, & auctoritate scripturæ: reiecerit omnia. Nam & Grammaticæ præceptis hac in parte insistendum non esse docuit: & ordinem verborum non esse admodum curandum: scripturam deniq; non ita vrgendam, vt in verborum seruo & ordine momentum statuatur, sed in intelligentia rerum. Quæ cum indignissimè dicta essent ab homine de veritate desperante: non poterant me non commouere: tantum abest, vt aliquam in argumentis firmitatem iudicarem esse.

Socini despe-
ratio.

Secundò negat Socinus Angelum, qui hic apud Zachariam loquitur, à se obiurgatum, aut increpatum esse: sed tamen quid illi omnino faciendum fuerit, edoctum. Ita enim se purgat in conclusione libelli ad lectorem. Verùm clariora sunt Socini verba, quàm ut excusari quacumq; ratione possint. Nam ut pluribus in re satis clara non agam: quæ insania est, imò quæ arrogantia & superbia, homuncionem unum præscribere Angelo quid tacere, quid loqui debeat? & docere, quid illi loquendum omnino fuerit, aliàs tacere debuisse? Nemo sanè non videt grauem eam obiurgationem ab omnibus haberi: cum triobolaris aliquis graui & sapienti viro, nedum Angelo, silentium imponit. Verba Socini sunt fol. 190. [Verùm Angelus, qui verba Domini exercituum referebat, volebat (idq; sanè velle aut tacere debebat) istos duos qui aderant certo scire &c.]

2.

D

Socinus Angelos docet loqui imò & increpat.

Tertiò negat Socinus se à scriptura discedere: quamuis à communi & semper alibi in sacris literis usurpato loquendi more discedat: eò quòd attulerit huius rei rationem. At si hoc non est discedere à scriptura: nulli Hæretico vnquam merito obiici poterit, quòd à scriptura discedat. Afferet siquidem ille suæ temeritatis rationem. Ego verò iam probaui Socinum non ratione, sed pertinacia, à communi scripturæ consuetudine recessisse.

3.

Quartò negat se scripturæ addidisse: cum voculam (Quòd) addidit. Ea siquidem quamuis inter expressa scripturæ verba non habeatur, tamen ad illa quæ subaudiuntur pertinet. Ego verò communem scripturarum morem in contrarium produxi, ex eoq; ostendi, quoties in scriptura dicitur, Hæc dicit Dominus, verba quæ sequuntur absolutè dici, nullis voculis coniunctiuis, neq; interiectis, neq; subaudiuntur. Id ergo quod subaudit Socinus, additum ad scripturam censeri debet.

4.

Quintò ait me aliter citasse ipsius verba: nempe si Pronomen (me) ad Angelum non referatur, non appariturum, quem Deus exercituum miserit: cum potius dicendum esset, quis miserit. Quasi verò non diserte vtrumq; expresserim consutando: nempe apparere, & quem miserit, & quis miserit. Non ergo vim ipsius argumenti, ut ipse saluuiatur, effugi: sed illud directè respondendo plenè dissolui.

5.

6.

Sextò ait nullo pacto me ostendere posse, relatiuum tertiæ personæ

sonæ ad ipsum loquentem referri. *Affero ego unum ex multis exemplis Zach. 12. Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum. Quo loco idem Filius Dei, qui de se configendo in prima persona loquebatur: mox seipsum in tertia persona exprimit. Plangent eum &c. Quare nihil conficis Socine, cum illa verba contra nos urges: Qui tangit vos tangit pupillam oculi eius. Nam etsi ita legamus, ut tu vis, & Græca exemplaria habent (quam lectionem non improbo) tamen vocula, **Eius**, potest vel ipsum Dominum exercituum loquentem designare, ut ex adductis similibus Zachariæ verbis docui: vel Dominum exercituum mittentem, licet ante nominatus non fuerit. hoc enim ab usu prophetarum non abhorreere initio satis ostendi. Vtrumvis autem dicatur, nihil nostræ nocet sententiæ. Magis verò tibi Socine nocet tua in verbis Zachariæ adulterandis & corrumpendis licentia: quibus cum undiq; premereris, veluti omni alio præsidio destitutus, ad falsariorum artes confugisti. Inprimis enim fol. 203. locum Zachariæ à Iudeis corruptum esse calumniaris, quòd illustre de Christo configendo testimonium contineret. At eadem ratione possunt Iudei Socino falsi crimen obiicere, quòd eam calumniam ad defugiendam huius testimonii vim vlerò confinxisse videatur. Deinde cum hoc præsidium non satis firmum videas fol. 202. leuissimè conicis, illas voculas, **Ad me**, non fuisse in scriptura D. Ioannis tempore: siquidem is Cap. 19. cum hunc ex Zacharia locum adducit, illarum non meminit: sed nude ait videbūt in quem tranfixerunt. Inanissima sane coniectura. quasi verò Christus & Apostoli in citandis ex veteri testamento scripturis, ad verba magis, quàm ad sensum respicere consueverint. cuius rei n. nulla exempla in medium produxi, in libro de Christi diuinitate fol. 281. Ad extremū ut te perfectum scripturæ corruptorem probes, ad finem libelli ais, duas nouas voculas ad verba Zachariæ adijciendas esse. Cum enim vniuersa antiquitas ex Hebræo semper ita legerit. Et aspicient ad me quem confixerunt. tu ais ex Hebræo verti posse. Et aspicient ad me cum illo quem confixerunt. Si hæc adiectio Socine sacrilega non est, que alia sacrilega vocari possit non video. Si enim hæc due voculae in Hebræo*

Insignis scripturæ falsarius Socinus.

¶

semper

semper extiterūt: quomodo fuit obsecro cæca tota antiquitas, quæ tam planas voces, vel non aduerterit legendo, vel dissimulãrit? Nisi forte dicas (quod tuum perfugium est) illas uoculas non ad expressa scripturæ uerba, sed ad subintellecta pertinere. At uide id doces? quæ uerba hanc adiectionem postulant? Sane qua fronte id asseris hoc loco, asseras quoq; semper, cum in Hebræo habentur illa uel similia uerba, uoculas illas interijciendas esse. ex quo etiã consequetur: ut si quis Hebræicè se configendum affirmare uelit, affirmare debeat, se cum alio configendum: iisdem enim uerbis quæ hic habentur proculdubio utetur. hoc autem nihil ineptius dici potest. Neq; uerò Marci Marini hominis, ut tu uocas, Pontificij auctoritatem nobis opponas: à quo tu hanc lectionem mutuasti. Apud nos enim unius hominis, cum omnibus se opponit, parua aut nulla est auctoritas. Deinde si quid à nostris hominibus asseritur, quod à communi sensu Ecclesiæ sit alienum: non ea pertinacia asseritur, ut id ratum & fixum ab omnibus haberi uelim; sed liberũ Ecclesiæ relinquãt, illud uel approbare uel improbare. Quod si tu facere uelles Socine: cras uerus es Christianus. Sed non plura: satis enim est Socinum egregium in diuinis literis falsarium, digito ostendisse.

Deniq; quã bene ad locum Ieremiæ qui habetur Cap. 27. responderim: satis ex ijs quæ ab initio dixi manifestum est. Vnum ex his omnibus colligo: nimis uel rudem uel impudentem Socinum esse; cum me calumniarum accusat in ijs, in quibus nil uerius à medici potuit. Parco tamen homini: si forte ex his paucis, uerius & modestius in posterum loqui addiscat.



Ad Lectorem

Disce candidè Lector ex vno Fausto Socino, infaustos Anabaptistarum mores: quibus id vnum propositum est, vt veri Dei, & veri Filij eius fidem ex hominum pectoribus tollat. Omnis enim qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet. I. Ioan: 2. Verùm id quod maximè horum hominum perfidiam prodit, est Scripturarum corruptio, & nimis violenta conuorsio. Cum enim clarissimis pro Christi diuinitate testimonijs vrgentur: non aliter illis satisfaciunt, nisi vel Scripturam in dubium reuocando, vel arbitratu suo nouas addendo voces: vel etiam detrahendo. quod ex iis quæ paulo ante adduximus satis constat. Scio nullos Hæreticos magis quàm Anabaptistas, Scripturam pleno quasi ore crepare: sed ita, vt suis contortis expositionibus faciant Scripturam verè crepare. Neq; enim ab vllò hominũ genere tãta vis Scripturæ vel inferatur, vel vnquam illata est: vt à pestilentissimo Anabaptistarum cœtu. In hoc enim vnum omnes ingenij sui & impietatis neruos intendunt: vt quod Scripturæ aiunt, ex eorum interpretatione negare videantur: & longe aliud insinuare, quàm quod sanctissimis et doctissimis Patribus diuina luce collustratis, in scripturis semper est visum. In qua re tantũ sibi placent, tantũ arrogant, vt alios õnes præ se contemnant, non vulgares modo, sed etiam sanctissimos & doctissimos viros, Patres inquam veteres, Ecclesiæ lumina & ornamenta, qui omni ætate, non modo summa vitæ sanctimonia, sed eximia etiã eruditione, & diuinæ sapientiæ laude fuere conspicui: de quibus id per summam arrogantiam & impudentiam scriptum reliquit Socinus. [Si pueriles istorum Patrum ratiuncule in vnum colligantur, fore vt ingens volumen conficiant] Nihil igitur mirum, Socinum qui tam insolenter in auctoritatem Sanctorum Patrum inuclauit, vt rationes illorum pueriles, & proinde ipsos præ se pueros existimauerit: rationes quoq; nostras, quas pro diuinitate Christi in libro eadem de re conscripto attulimus, inanes, sophisticas, & nullius momenti iudicasse: idq; se in sua responsione effecturum recepisse, vt ita rem habere, omnibus sit certum atq; exploratum. At si ea perfidia, & diuinarum literarum violatione, qua cætera quæ hæctenus à Socino prodierunt, id effecturum se pollicetur:

se pollicetur: efficiã et ego profectò Christi gratia fretus, ut nullũ mer-
daciũ diuinas literas tractasse, quã Faustum Socinum,
omnes intelligant: eiusq; tum scripta tum no-
men tanquam anathema execrentur.


V A L E.




Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain several lines of script.



9253
—
0





9253

0

